

Witte S. 269 zu 1077.

ipse precedens montem circumcivit totumque spatium, quod hoc ambitu designaverat, ipse propria iurans manu episcopo presenti suisque successoribus sempiternam possessionem firmavit et quod vulgo ibidem Snüden(!) appellatur eo quod seorsum privato alicuius usui separatum a communi hominum utilitate secernit et eternaliter vocari et esse constituit. Episcopus autem montis amenitate veterumque murorum ex fundamentis firmitate perspecta et quod aduc eiam nomen pristinum celebriter ab antiquitate servasset succisis silvis et arbustis erutis habitabilem fecit parvoque tugurio pre festinatione extento sepius in hoc manere disposuit, ubi et secretius adque vellet vacare posset et quandoque etiam turbam declinaret infestam. Igitur huic Bennoni locus iste omnium oportunitate complacuit acceptaque occasione, cum iam undique videret bella consurgere, huc se omnimoda cordis et corporis intentione contulit predecessore suo iam aliquanta inchoata parte murorum omnis generis edificandi commodissime reperta materia castrum ac beati Clementis in honore monasterium monachorum erexit.

Anm. Der Schluss wiederholt theilweise wörtlich den ersten Abschnitt.

Vita cap. 19.

ipse praecedens montem circumcivit totumque spatium, quod hoc ambitu designaverat, ipse propria iurans manu episcopo praesenti suisque successoribus aeterna possessione firmavit et quod hic vulgo Suender appellatur eo quod seorsum privato alicuius usui separatum a communi hominum utilitate secernit aeternaliter vocari et esse constituit. Episcopus autem montis amoenitate veterumque murorum ex fundamentis firmitate perspecta et qui adhuc nomen pristinum celebriter ab antiquitate servasset succisis silvis et arbustis erutis habitabilem fecit parvamque capellam ligneam in honorem sancti Clementis struxit vovens ex acquisitis bonis et praediis pro ordine sancti Benedicti abbatiam construere, parvo item tugurio versus occidentem in loco praerupto prae festinatione exstructo saepius in hoc manere disposuit, ubi et aedificationi praesens intendere et secretius divinis vacare posset et quandoque etiam turbam declinaret infestam.

cap. 17.

ad montem in quo vetustissimum dirutum Iburgense castrum extabat, pervenit qui locus illi ante omnia complacuit, quod et materia ad aedificandum esset abundans et quod puriori aëre et solitudine gaudere possent caenobitae.